



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**R. P. D. Thomæ Delbene Marvbiensis, Clerici Regvlaris,  
Sacrae Theologiae Professoris ... De Immvnitare, Et  
Ivrisdictione Ecclesiastica**

**Bene, Thomas del**

**Lugduni, 1674**

III. An Immunitas Ecclesiarum latè interpretanda sit?

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-98676](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-98676)

16 Obiicies 3. Deus, & Ecclesia delicta abhorrent, ergo.

Respondetur, quod licet delicta abhorreant, sunt tamen delinquentium misericordia, & refugium.

17 Obiicies 4. Apud antiquos erant pauca asyla, at hodie sunt innumera Ecclesiarum: ergo.

Respondetur, transeat. At hoc mirum esse non debet, quia maior honor, & reuerentia debetur Deo viuo, & vero, quam Diis falsis, & mortuis. Adde, quod tunc rei, qui recurrerant ad asyla, pro quibuscumque delictis immunitate gaudebant, & ab omni poena liberabantur; non sic nunc, cum pro delictis exceptis non gaudeant, pro delictis autem non exceptis, licet gaudeant, adhuc tamen aliqua poena puniuntur, ut infra suo loco dicitur.

### D V B I T A T I O I I I.

An Immunitas Ecclesiarum late interpretanda sit?

#### S V M M A R I V M.

- 1 Immunitas Ecclesiarum in sententia Couar. Deciani, Cutell. stricte est interpretanda ex eo, quod derogat ius commune, quin & naturale.
- 2 Ecclesia non intendit fauere delinquentibus, sed misericordiam prestare miseris, & casu delinquentibus.
- 3 Immunitas Ecclesiarum in sententia Auctoris, & aliorum late est interpretanda, quia est causa pia, & Ecclesia fauorabilis.
- 4 Immunitas Ecclesiarum est priuilegium per modum legis in iure communi insertum, quod latam habet interpretationem, est bonum publicum & nemini praeducatur.

1 Respondetur, quod (quamvis Couar. lib. 2. cap. 10. n. 5. in fin. Cutellius de immunit. Eccles. lib. 1. q. 4. n. 18. & Decian. cit. c. 25. n. 14. & c. 28. n. 6. in fin. & c. 29. n. 1. velint, stricte illam interpretandam esse ex eo, quod deroget ius commune, quin & naturale, quo cauetur ne delicta maneant impunita, & praeterea improbi hac immunitate reddantur audaciores ad committenda delicta, & Ecclesia non intendat fauere huiusmodi hominibus, sed misericordiam prestare miseris, & casu delinquentibus, late tamen interpretanda sit; quia est causa pia, & Ecclesiae fauorabilis, tum quia est priuilegium per modum legis in iure communi insertum, quod latam habet interpretationem; tum quia nemini in particulari praeducatur, & bonum publicum est quod praestetur reuerentia debita Ecclesiae, alioquin pro nullo delicto ad Ecclesiam asylus esse deberet, unde patet ad opposita, atque ita ex communi docent Farinacius in append. Immunit. cap. 2. num. 21. Ambrosin. de Immunit. Eccles. cap. 10. num. 7. Marc. Ant. Genuenf. pract. Archiepiscop. cap. 22. num. 22. in fin. & cap. 94. Mar. Italia de immunit. Eccles. lib. 1. cap. 2. §. unic. num. 1. Barbosa tom. 2. cap. 3. num. 90. de iuri. iure, & Vincentius de Franch. decis. 713. lib. 4. Castill. decis. Sicilia 156. num. 42. Guazin. de defens. reor. tit. ex defectu iuris. defect. 1. post medium, & Decian. etiam sibi metipsum contrarius conf. 80. n. 19. & 22. lib. 3.

Th. Delbene de Immunit. Eccles. Pars II.

### D V B I T A T I O I V.

An Gregorij XIV. Constitutio vbique locorum locum habeat?

#### S V M M A R I V M.

- 1 Constitutio Gregoriana de immunitate vbique locorum locum habet, contra nonnullos.
- 2 Minus probe asserunt aliqui, non nisi in illis locis & Prouinciis, in quibus aliqua priuilegia immunitatem Ecclesiarum derogantia concessa erant, locum habere.
- 3 Gregorius XIV. extendit dictam constitutionem ad omnia loca, ut ibi videre est.
- 4 Constitutio Gregoriana derogat omnes consuetudines, ius commune, & prouinciale, & Doctorum interpretationes, reducendo omnia ad unicam formam.

Respondetur, quod (quamvis Guttierrez pract. 99. civil. lib. 3. q. 1. n. 36. Cutellius de immunit. Eccles. tom. 1. q. 1. n. 25. 30. 48. & segg. & nonnulli alij velint illam non nisi in illis locis, & prouinciis, in quibus aliqua priuilegia immunitatem Ecclesiasticam derogantia concessa erant, locum habere, ex eo quod sic videatur colligi ex principio dictae constitutionis) vbique tamen locorum, ex eo quod id, quod dicunt Guttierrez, & Cutellius, non fuerit causa finalis, sed solum occasio, locum habere dicendum sit; quia sic sentiunt communiter Doctores, qui post illam scripserunt; tum quia sic clare colligitur ex ipsa constitutione, ibi: *Volumus quando praesens temporum calamitas, & nimia peruersorum hominum malitia exposcit, aliquid permittere circa immunitatem Ecclesiarum, ultra id, quod a prisca illa maiorum disciplina, & a sacris Canonibus est praescriptum*; tum quia dicta constitutio derogat omnes consuetudines, ius commune, & prouinciale, ac Doctorum interpretationes, reducendo omnia ad unicam formam, ut dicitur infra dub. 7. & 8.

### D V B I T A T I O V.

An quando ius Canonicum, & ius Civile non sunt concordantia, interpretatio circa materiam Ecclesiarum facienda sit secundum ius Civile, vel secundum ius Canonicum?

#### S V M M A R I V M.

- 1 Interpretatio circa materiam Ecclesiarum iuribus civilibus, & Canonicis discordantibus facienda est secundum ius Canonicum, contra nonnullos Doctores.
- 2 Leges civiles de immunitate Ecclesiastica loquentes, approbantur a iure Canonico.
- 3 Ius civile in materia Ecclesiarum, & ius ipsius concernente, non habet iurisdictionem, nisi ad fouendam dispositionem iuris Canonici.
- 4 Ecclesia semper sunt a iurisdictione Principis secularis exempta, & Pontificiis iuribus subiecta.
- 5 Iudex Ecclesiasticus potest compellere iudices seculares, ut seruent leges canonicas suum forum respectantes.
- 6 Si exoritur dubium super interpretatione iuris Canonici,